In altera.

Boues subiuges ad laeuam arantes, uelatus Imp. agit, dextra ad stiuam summam incumbente. Supra animalia. COL. IVL. A tergo aratoris BER. infrà. S. C. Nummum hunc aeneum memini me uidisse apud D. Antonium Augustinum Romae.

In una parte.

7. Augustus habetur laeua facie, nudo uertice, & detecto collo, cum circumscriptione. CAESAR AVG. TRIBVNIC. POT. . . . .

In altera.

Triumuiri monetalis mentionem in superficie descriptam reperio. C. CASSIVS CELER. III. VIR. A. A. A. F. F. in medio. S. C. Nummum hunc aeneum mediocrem ego domi habeo.

In una parte.

7. Augustus cernitur irradiatus, laeua facie, cũ graeca nominis sui inscriptione . . . . .

In altera.

Statua muliebris stat hastata, dextra manu ad se accedentem puerum pileatum àc tunicatum ad dextram apprehendens. Nummum hunc aereum mediocrem Romae apud quendam Antiquarium in Campo Florae uidimus.

In una parte.

Simpulum & lituus signa religionis adparet, cum circumscriptione. LAVRVS REGVLVS PVLCHER.

In altera.